



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 100. Parisiensis Parlamenti appellatio ob decimas a Clero petitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.
A.C. 1489

voluta, atque in favorem Reginae decisa fuit, dato insuper præfatis Episcopis negotio, ut reluctantem forte Stenonem censuris etiam perstringerent.

§. C.

Parisiensis Parlamenti appellatio ob decimas a Clero petitas.

*Jalygni hist.
Car. VIII.*

Hoc item anno adversus legem de decimis Clero Gallicano imponendis provocabat Parisiense Parlamentum. Hi, qui eas exigere moliebantur, allegabant, quod Flandriæ ac Britannia bello ærarium penitus exhaustum, & absque ejusmodi subsidio inglorie ab armis desistendum foret. Ea res nec Clero nec Parlamento probabatur; unde Vaquerius supremus Curia Præses unacum suis Consiliariis Regi exponebat; ejusmodi decimas exigendi facultatem a Pontifice haud unquam concedi, quin magna illarum portio in ejusdem emolumentum cederet, proin harum exactiorem nullatenus Regno proficuum fore, præsertim cum in illis colligendis tot sumptus impendendi essent, ut hi facile collectam absorberent pecuniam, aliunde etiam in ejusmodi præstationibus plurimæ committerentur fraudes, ac denique populus a Rege tam acerbis pecuniarum exactiõibus alias premeretur, ut accedente decimarum onere

nere penitus exhauriretur; præterea Clericis, cum suorum beneficiorum redditus ægre admodum, & nonnisi post longas moras perciperent, novum hoc onus nimis graviter accideret, si insuper eis decimæ imponerentur, tandem his verbis sermonem suum conclusit Præses: Senatus æquitatis legibus obstringitur, ut, si forte Clerici de ejusmodi oneribus ad illum querelas deferant, eos audiat, eisque justitiam administret. Adeo prævalere hæc rationum momenta, ut hac causa penitus neglecta, Clerus ab hisce molestiis omnino exemptus permaneret.

Sæcul. XV.
A. C. 1489.

§. Cl.

Zizimus a multis Principibus expetitus.

Affiduis juxta ac fervidis precibus Innocentius Papa supremum Rhodi Magistrum urgebat, ut Zizimum Bajazethis Turcarum Imperatoris fratrem Romam perduceret. Degebat is interim Burgonovii in ædibus Ordinis Teutonici ad fines Pictavii ac Marchiæ, ab Equitibus Rhodiis perhonorifice custoditus: Eundem quoque infelicem Principem, ut ad suas ditiones pertraherent, Hungariæ, & utriusque Siciliæ Reges nil inausum, intentatumque relinquebant. Haud segniori studio Ægypti Sultanus Zizimum sibi

Addit. ad
Cincon. in
Innoc. VIII.

sibi